

Saraceni: nulli enim parcebant sexui vel aetati aut conditioni, quin omnia scrutarentur: supra modum animo perturbata et spiritu tristitiae et desperationis absorpta, in marinas iecit undas filium ex se natum. Praedictus vero Saladinus A scalonam rediens, cum hac conditione civitatem per deditionem accepit, ut regem Ierusalem et magistrum Templi, quos captivos tenebat, et quosdam alios libertati donaret. (Cap. VII. Continet lamentationem super amissione civitatis sanctae Ierusalem.) Cap. VIII. Continet qualiter Tyrum Saladinus obsedit.

Postquam victor intumuit, ad Tyri obsidionem transit Saladinus. Erat autem tunc in civitate strenuus vir, Conradus marchio Montis-Ferrati. Nam eadem, ut dicitur die, qua christiani corruere in bello praedicto, ipse de Constantinopoli veniens, navigio ad civitatem applicuit. Hic cum defensionem promitteret civitatis, si post liberationem eius dominio subderetur, a cunctis civibus civitatis casum formidantibus illi gratiose offertur. Coepit proinde ad se suaque tuenda non segniter agere; sed undique civitatem munire, confortare cives et pro tuenda libertate ad probitatem inducere universos. Adveniens autem Saladinus et seorsum a suo exercitu positus christianis, ut eorum qui in civitate erant paterent obtutibus, ad Conradum transmisit nuntios: quod si civitatem redderet, patrem quem tenebat, restitueret et multis remuneraret thesauris. Quo renuente a Ptolomayda 24 galeas iussit procedere ad civitatis Tyrensis offensam marisque custodiam, ut victualia et omne auxilium prohiberent; 24 quoque machinas erexit offendentes continue civitatem. Christiani tamen bellatores quotidie bis vel ter, ductore quodam Yspano strenuo milite contra hostes faciebant insultus; stabantque Saraceni, cum exirent, attoniti super illius militis probitate, quem Guercium militem vocabant. Marchio vero vasa navigabilia sic composuit, quod prope terram poterant navigare, et cooperti homines per fenestras parvulas alios sagittabant, galeaeque ad ea appropinquare non poterant. Contigit quoque, ut quidam iuvenis, cuiusdam admirati filius, offenso patre, ad civitatem concurreret peteretque baptismum. Huius nomine scriptam litteram cum spiculo marchio transmisit ad hostes: in qua iuvenis Saladinum salutabat ut dominum; asserebat deinde civitatis nosse statum et nocte sciret fugere christianos: et si hiis non credebat, nocte ad portum faceret observari. Ille tenore litterae delectatus, galeas bonis replet hominibus. Marchio vero ad muros diligentem ponens custodiam, sed quietam, a barbicanis cunctos summovit: universos autem armatos ad portum currere iubet, catena portus deposita ad cautelam. Saraceni vero hoc sentientes, fictionem reputant veritatem et portum intrare festinant: postquam vero aliqua intravere navigia, elevatur catena, trucidantur qui in navigiis erant; et armantur sollemniter christianis tam acquisita quam